



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LVIII. D. Hildolphvs. XXXII. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

si adverso flumini contravenisse, ac viam repetiisse: donec denique undis necquidquam obluantibus Mediolacum usque incolumis appulsa, semet ripæ applicuerit, ut quem locum olim à seculi fluctibus portum vitæ tranquillioris attigerat Ludvvinus, eundem haberet quietis sedem, aut sepulchrum ab anno 718.

LVII MILO. XXXI. ARCH.

Milo D. Ludvvinii filius in connubii statu ante aditum Sacerdotium patris pridem susceptus, temporum, aut veriùs electorum iniquitate electus est Rhemorum pariter & Trevirorum Archipræsul; sago togam, galeæ infulam præhabendam ratus, bono persuasus consilio, si sequi consilia magis didicisset. Verùm detestantibus factum plurimis, pascere oves nunquam cœpit, venari in sylvis feras nunquam destitit. Annis omnino 40. lupum veriùs, quàm pastorem hunc tulere Treviri, donec tandem ab apro devictus, & an. 758. in frustra disceptus, sylvæ novum indidit nomen. Interea D. Willibrordus, & hoc Episcopo ex senio viribus deficiente, D. Bonifacius Trevirensium Ecclesiæ conservandæ vigilem navârunt operam, quò minùs tanto officio indignissimum removerent quàm primùm, potentiorum machinâs impediti.

LVIII. D. HILDOLPHVS. XXXII. ARCH.

D Hildolphus ex claro Bojorum stemmate ortus, & Ratisbonæ moribus ac literis excultus, à Pipino Gallorum Rege Treviros usque est translatus. Eremum publicis curis anteferre doctus, dum abitum paravit, aditum ad summos honores Trevirâs invenit, communi omnium acclamatione promulgatus Archipræsul. Quare tot suffragiis vocatus, nihil antiquius habuit, quàm collapsas ædes sacras refarcire, Clericorum vitia emendare, Divorum præsertim Trevirensium honores promoveri: testis sit D. Maximini sepulchrum ab aquarum illuvie

N equi-

equidem mirè servatum, temporum tamen injuriâ nonnihil corruptum, ut à D. Hildolpho ampliùs exornaretur. Annis 10. inter publica negotia consumptis, depositâ mitrâ cum Spinolo, Joanne & Benigno Monachis Maximianis Vogesi montis eremum, collacrymantibus ferè bonis omnibus, petiit Hildolphus, ubi rerum cœlestium contemplationi, & virtutum selectissimarum exercitio intenti, partim adventantem populum in sui admirationem, partim multos ad imitationem pertraxerunt.

LIX. D. VEOMADVS. XXXIII. ARCH.

D. Veomadus à D. Hildolpho subrogatus eò magis placuit, quòd Hildolphus contra communes omnium preces & querelas constantissimum sese exhiberet in deligenda eremo, atque in successorem designando Veomadum, quo neminem in eo rerum statu digniorem palàm dicebat. Fuit Veomadus Mediolacensis monasterii Abbas laudatissimus, & jurium Ecclesiasticorum assertor constantissimus; quod expertus est Asfuerus, Prumiensis monasterii Abbas, de dominio Cellæ D. Goaris dictæ, litem sustinens. Quantus Ecclesiæ defensor, tantus Ss. Reliquiarum propugnator & promotor: D. Castoris enim Ossa decentiori loco collocavit, populo Cleroque Cardonam usque Archiepiscopum comitante, ac tridui abstinentiâ præviâ Numen propitium sibi reddente. Divorum curam tam sedulam dum gessit, sui curam majorem geri à Divis expertus, à D. Castore ter spectabili factò, è mortalium numero est evocatus an. 781. Sed. 13.

LX. RICHBODVS. XXXIV. ARCH.

Richbodus ex Abbate Mediolacensi creatus Archiepiscopus Trevirensis, vix aliam, quàm nominis sui, nobis reliquit memoriam, aut veriùs alii reliquerunt, gestorum publicorum parùm seduli observatores. Annis 10. sedisse creditur, mort. an. 791.